



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CLVI. Differentia 27. Iure civili fratrem frater de magno crimine non
accusat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

XXVII.

DIFFERENTIA. 27.

Iure civili fratrem frater de magno crimine non accusat. *l. si. magnum. C. Qui accusare non poss. l. sororem eodem.* At Iure Canonico accusare potest de hæresi. *c. litteras. De præsumpt. c. si audieris. 22. Q. 2. c. Diaconi. Dist. 14. Bars. 44. Decian. l. 2. c. 21. n. 2.*

IN fratrum discordia alatur, insidiarum alienarum hereditati aditus præcludatur, sanguinis coniunctio foveatur, à tristi & inimico conatu arcendi erant. Unde fratrem suum de capitali crimine accusaturus non modo non auditur, sed etiam exilio plectitur. *l. citata. si magnum.* Eadem sororum conditio est. *l. si sororem eod.* levioris tamen delicti reos facere possunt. Enimvero nomen fratris dulce, & amabile *Eccles. c. 25.* adeoque providendam, ne ira, & odio lædatur. Ab accusationibus igitur, & amaris litibus abstinere leges iubent. Quod si fratrem frater alere in necessitate tenetur, ut *Glossa vult in l. 1. C. de alend. lib.* minimè convenit eum iudicio persequi, quo potius augeri necessitas quam sublevari solet. *V. Decian. l. 3. c. 13. n. 15. & seq. Alciat. in r. C. De in ius vocando n. 32. Damhoud. in Praxi criminal. c. 50. n. 10. Bronchorst Centur. 2. assert. 91.*

II. Sacros canones quod attinet, ita hæresin, & hæreticos persequi compertimus, ut cuilibet licere velint quemlibet eius criminis reum accusare: adeoq;

serui aduersus dominum, & quilibet criminofus, & infamis aduersus quemcunque admittuntur. *c. præsumpt. 2. Q. 7. c. nos sequentes. 6. Q. 1.* Omnes igitur hæreticum hominem accusare debent, quia publicum crimen hæresis est, & religioni illata iniuria ad omnes pertinet. *l. Manichæos. C. De hæreticis.* siquidem incolumæ & intactos se suosque conservare velint. Hæreticorum virus enim latenter serpit, in cautum quemlibet inficit, omnibus interitum minatur. Nec minor illius, quam læsæ maiestatis reatus, de cuius vindictâ & punitione. *Giga Tractatu speciali, & Farinac. in Pract. Crimin. Q. 13. n. 54. Item Tract. De delictis. Q. 143. §. Hæresis. n. 98.* ubi propter hæresin, & idololatriam separationem thori coniugibus permitti tradit. *V. Decian. l. 5. c. 28.*

* *

* *